



4 1293

1707

1731

10

D. F. F. S.  
 RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
 SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DN. FRIDERICO AVGVSTO,**  
 ELECTORATVS SAXONICI HEREDE, ETC.  
 DISSERTATIONEM  
 DE

# FIDEIVSSORIBVS

In Baptismo Veteris Ecclesiae,  
**PRO LOCO**  
 In Amplissima Facultate Philosophica  
 obtento,  
 Solenni ventilationi exponit  
**PRAESES**

**M. GVIL. VVILCKIVS,**

Memela - Prussus,  
 RESPONDENTE

**M. CHRISTIAN. FRID. KRANEVVITTERO,**

Chemnico - Mistr. Alumno Elect.  
 ANNO MDCCVII. DIE XXVII. JANVARII,  
 IN AVDITORIO MAJORI.

---

VITEMBERGÆ, Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

1707



RECTORI MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPIS ARCHIEPISCOPI  
D. FRIDERICI AUGUSTI  
RECTORATUS SAXONIAE RECTORIS  
DISSENTATIONEM

DE  
FIDELIVSSO  
RIBVS

In Baptismo Veteris Ecclesiae  
PRO LOCO  
In Amplissima Facultate Philosophica

opinio  
Saxoniae rectori exponit  
M. G. V. VILCKIVS

M. CHRISTIANI FRID. KANENVIT TERO  
Lipsiae - anno 1743  
M. G. V. VILCKIVS

TITELBERG. Typ. Christiani Schröderi, 1743





I. N. D. N. J. C.

§. I.



Um primas dissertationis  
meae lineas de *Fidejussoribus in Ba-  
ptismo veteris Ecclesiae* ducere inci-  
pio, prima equidem cura esse de-  
beret *Etymologiam* vocabuli *Fide-  
jussoris* explicare; sed quia hoc  
munere jam alii ante me perfun-  
cti sunt, imprimis JC, atque inter

eos *Anton. Heringius* in *Tr. Jurid. de Fidejussoribus c. 2. in-  
tegro*, hinc eam studio praetermittam, Lectorem eo  
remittere contentus.

§. II.

Illa proinde missa, necesse habeo, vocem *Fide-  
jussoris*, quae in titulo dissertationis meae legitur, ab  
omni ambiguitate liberare. Haec vero duobus mo-  
dis accipitur, partim usu Juridico, partim Theologi-  
co. In sensu juridico notat personam, quae obliga-  
tionem alienam ob majorem creditoris securitatem  
in fidem suam per stipulationem recipit, ita ut prin-  
cipalis quoque obligatus maneat. *pr. Et. Instit. de Fi-  
dejuss.* In significato Theologico denotat personam,  
quae non solum de collato infanti baptismo testimo-

A 2

nium

nium fert, sed etiam veram fidem ejus nomine profiteur, Diabolo renunciat, atque de bona institutione & educatione infanti prospicit, ac spondet. *Baldwinus Cas. Consc. L. II. c. II. cas. 8.* Quae ultima vocis significatio hic locum habet.

§. III.

*Synonyma* vocabuli hujus quoque recensenda sunt, ne diversa in Patrum monumentis appellatio errorem in animis legentium pariat. (1) Judaei Fidejussorem, quem in circumcisione habent, vocant אבִי־הַבְּרִיתִּים patrem foederis, qui teste *Buxtorffio in Lex. Chald. Talmud. Rabb. f. 1512.* סְנוּרִק vocatur, quam pronunciat esse vocem domesticam, quae ab Elia in suo Thisbi legitur, in Aruch non invenitur. Alii eundem nominant בעל־בְּרִית (2) Graeci eos ἀνωδοχός vocitant. (3) Prisci Ecclesiae doctores non modo Fidejussores, verum etiam Patres spirituales, initiales, Iustricos, Compatres, Propatres, Arbitros baptismi, Patrinos, Susceptores, Sponsores, Offerentes, Gestantes, Fideidoctores appellant. Foeminei sexus homines Matrinās, Promatres, Commatres, Onomastros, Initiales, Suceptrices, Parentes mysticas &c. Infantes denique Profilios, Filios initiales, spirituales, Iustricos, Filaistros, vel Filastras nominarunt, ut testantur *Durantus de Rit. Eccl. Cath. L. I. c. 19. §. 16. Casalius de Prof. & Sacr. Vet. Rit. P. III. de Vet. Chr. Sacr. rit. c. 5. p. 43. Gisbertus Voëtius Polit. Eccles. P. I. L. III. Tr. II. sect. 3. de admin. Bapt. c. 4. §. 4. qv. 1. p. 703. Hildebrandus Ritual. Bapt. Vet. p. 31.* aliique complures. In statutis Boemicis Ecclesiasticis dicuntur Advocati, Testes, vid. *Voëtius c. l.* Subtiliores equidem Pontificii distinguunt inter Testem baptismi & Fidejussorem proprie dictum, qui

qvi manu tangit, aut levat, aut suscipit parvulum, in baptismo. Levantes & suscipientes dicunt contrahere cognationem cum eo & parentibus ejus, testes vero non item. Vid. Voetius c. l. p. 704. Verum sicuti cognatio illa, quam contrahunt Fidejussores cum infantibus, pro quibus spondent, eorundemque parentibus non nisi imaginaria existit; sic etiam distinctio illa nullum discrimen in re ipsa habet. (4) In Liturgia Anglica vocantur Godfather & Godmother / quae vocabula in dictionariis eorum exponuntur Latina, voce Susceptor, Compater, Commater. In eadem Liturgia dicuntur surities / i. e. Sponsores, Adpromissores. Vid. Voetius c. l. (5) Germanice dicuntur Gevatter / Gevatterin / Pathe.

#### §. IV.

Sequitur, ut de origine Fidejussorum nonnulla verba faciam, & investigem, quo seculo instituti sint & quem auctorem habeant. Aliqui consuetudinem hanc rogandi Fidejussores in baptismo ex V. T. deductam volunt, eamque opinionem probant ex illo Esaiæ Prophetæ loco, qui habetur cap. VIII. v. 2. ubi de eo extat, quod jussu Dei secum sumpserit duos fideles testes, videlicet Uriam & Sachariam filium Jeberechiae Sacerdotes, sequæ cum iisdem contulerit ad Prophetissam gravidam & partui vicinam. Hinc dicunt ea de causa factum esse, ut testimonium ferrent de peculiari nomine infanti indito *Maber. scabal chasch. Bazo*, quippe quod Deus speciali praecepto injunxerat. Quos inter est Tremellius & Junius in Notis ad h. l. dum ad verba: *adhibui tibi testes*, sic commentatur: *nimirum ut filio nomen imperatum à Deo imponerem coram Ecclesia, & hoc signo adducerem, ad Prophetiam*

phetiam hanc praedicandam, literarumque monumentis ob-  
 signandam; testes, id est, viros, nominatim advocatos, ut  
 testarentur nomen illud filio meo impositum fuisse in Ecclesia,  
 quum circumcideretur, nam eo tempore indita fuisse olim  
 à Parentibus nomina constat ex Gen. XXI. 3. Luc. I. 59. II. 21.  
 Atque ex hoc ritu profectum esse nostrum constat, quocertè  
 homines speciatim, maxime vero calamitosis temporibus, (ut  
 ista futura erant) adhiberentur testes accessus ad Christum  
 & Ecclesiam per baptismum & nominis baptismo inditi. Ex  
 quo ritu Prophetam occasionem sumpsit, ut testes filii sui ad  
 alterum hoc singulare testimonium adhiberet, hos vulgus  
 compatres, commatres, Graeci olim *οὐτινὴς* appellarunt.  
 At enimvero negamus Prophetam viros secum ad-  
 duxisse, ut testes essent impositi nominis, sed ut te-  
 starentur de eo, quod Prophetissa gravida sit, fili-  
 umque conceptura. Ad hoc testes sumpsit, ne quis  
 existimaret, forte fortuna id accidisse, aut à Prophe-  
 ta confictum esse; Itaque Prophetam praedixit omnia  
 testibus, ut, ubi mulier enixura esset, testimonio eo-  
 rum confirmare posset, haec fuisse à Deo praedicta  
 & eventu deinceps implera. Conf. Seb. Schmidii Com-  
 ment. in Esa. c. VIII. 2. p. 71. Praeterea posito, sed non  
 concesso, testes hos fuisse impositi nominis, non ta-  
 men testes circumcisionis dici possent, quia non in  
 circumcisione infantis istius, sed in nomine *Maberschalal  
 basch Bazo* latebat vis efficaciaque prophe-  
 tiae, quae adventum Affyriorum praenunciavit.

§. V.

*Jo. Baptista Casalius in Libro de Prof. & Sacr. Veter.  
 Ritibus P. III. c. 5. p. 43. morem rogandi Fidejussores ad  
 baptismum existimat in Ecclesiam profectum esse,  
 ab illo Evangelii: & adduxit eum ad Jesum Matth. XIX,  
 13. Marc.*



23. *Marc. X, 13. Luc. XIX, 15.* Hanc ut stabiliat sententiam suam affert verba ex *Landulpho Carthusiano L. 2. vitae Christi. c. 24.* hunc in modum se habentia: *Et adduxit eum ad Jesum; ex hoc accipit Ecclesia, quod in Sacramento Baptismi & confirmationis utitur adducentibus, qui praesentent suscipientes Sacramentum, qui patrum solent vocari.* Atqui nec a Christo, nec ab Apostolis mos ille traditus videtur, id quod exinde colligo, quoniam in toto N. T. ne unicum quidem de hoc more vestigium extat. Nec Fidejussores a primo Baptismi ministro, aut reliquis Christi discipulis baptismum administrantibus esse in baptisate adhibitos lego. Neque Paulus *1. Corinth. I, 14. seqq.* quo loco a se baptizatos recenset, consuetudinis hujus meminit, cum tamen, si usu recepta fuisset, haud neglexisset. Potius ad testimonium Fidejussorum provocasset, cum a se suspicionem, qua premebatur, amoliri vellet, quasi in suum nomen baptizasset, quem constat gratias egisse Deo, quod non multos e Corinthiis baptizaverit. Neque in actibus Apostolorum, ubi baptismatis Corneliani fit mentio, aliquid de Fidejussoribus reperitur. Hinc infero, morem istum minime ad tempora Apostolica esse referendum. §. VI.

Sed objiciat quis & dicat, *Dionysium Arcopagitam*, qui tempore Apostolorum vixisse dicitur, atque in *Actis Apostolicis c. XVII. 34.* inter eos, qui Paulo verbum Dei praedicanti adhaeserunt, & in Jesum Christum crediderunt, refertur, *L. de Hierarchia Ecclesiastica c. de baptismo*, Fidejussorum saepius mentionem fecisse. Verum respondeo librum hunc esse suppositivum, nec ejus antiquitatis, cujus Dionysius fuit, sed quatuor prioribus purioribusque seculis incognitum fuisse, his

se, his nixus rationibus : quod neque Hieronymus, neque Eusebius, neque quisquam alius auctor antiquus sua aetate ejus mentionem fecerit, cum tamen hi libros veterum magna cum industria evolverint & perlegerint. Accedit, quod capita hujus libri cum seculo Dionysii non conveniant, enimvero *cap. VI. Hier. Eccles.* mentionem injicit Monachorum, cum tempore Dionysii de introducendo Monachorum ordine nihil quicquam cogitatum cognitumque fuerit. Nec praeteribo quod meminerit *auctor saepissime d. l.* templorum, altarium, chororum &c., quae sane illo, quo verus Dionysius floruit, tempore nondum in usu erant, & Christiani illo quidem Apostolorum aevo conventus in locis occultis abditisque nocturno imprimis tempore instituebant, precesque faciebant & concionari solebant, ne Tyrannorum insidiis submoverentur. Vid. *Koriholti Tr. de vita & moribus Christianis primaevae per gentilium malitiam affectis, c. V. p. 43. seqq.* Praeterea citat Clementem Philosophum, qui fuit Alexandrinus, hic autem multis post seculis vixit. Ut alia argumenta brevitatis causa omittere de stylo libri hujus dicendum est, eundem minus congruere cum stylo Apostolico, etenim ille nunquam inflatus & affectatus erat, sed satente Paulo *1. Cor. II, 1. 4. 5.* simplex, hic vero argutus, atque nimis tumidus, ut legentes judicabunt. Vid. pluribus *Riveti Criticus Sacer, Coci censura Patrum, B. Gerbardei Patrologia &c.* Quare liber hic in sententiae hujus subsidium patrociniumque allegari non potest.

§. VII.

Instet quis porro, ab incunabulis nascentis Ecclesiae Christi usu receptum fuisse, ut suam quisque fidem in ba-

in baptismo profiteretur, maloqve Daemoni nuncius remitteretur. Quo posito, sequitur eo ipso tempore fuisse aliquos, qui, quod infantes per aetatem non possent, opera sua praestarent. Sed nego, infantes in primigenia Ecclesia baptizatos, opera aliorum fidem suam professos esse, & satanae, prout hodie fit, renunciasse, quoniam ea de re nulla in scriptis Apostolicis fit mentio. Hinc concludo, post tempora Apostolorum has professiones fidei atqve renunciationes baptismo adjectas & in Ecclesiam introductas fuisse. Id equidem haud inficior, renunciationem in baptismo adulatorum esse antiquam: enimvero suo jam seculo Tertullianus de Coron. milit. c. 4. inquit: *Aquam adituri ibidem, sed & aliquando prius in Ecclesia, sub antistitis manu contestamur nos renunciare Diabolo & pompae & angelis ejus. Idem de spectacul. c. 4. Cum aquam ingressuri Christianam fidem in legis suae verba profiteremur, renunciasse nos Diabolo & pompae & angelis ejus ore nostro contestamur.* Eadem fere sunt quae scribit autor idem L. de Idololatria c. 8. Ambrosius L. de Sacram. c. 2. *Quando interrogavit te Sacerdos, abrenuncias Diabolo & operibus ejus? quid respondisti? Abrenuncio. Abrenuncias seculo & voluptatibus ejus? quid respondisti? Abrenuncio: memor esto sermonis tui.* Ut Cypriani, Origenis, Augustini, Gregorii Nazianzeni, Cyrilli aliorumqve testimonia praetermittam. Illa tamen aetate Apostolorum incognita fuit, & subsequenti tempore introducta. Sic negato priori, sponte corrui posteriori.

§. VIII.

Tandem alii originem Higinio (aliis Hygino) nativitate Atheniensi, X. Ecclesiae Romanae Episcopo attribuunt, anno alii CXXXVIII, alii CXL. circumscribunt, inter quos sunt Polydorus Vergilius de

B

Indent.

*Invent. Rer. L. IV. c. 4. p. 266. Platina de Vit. Pontif. in Vita Higinii, & complures.* Occasionem introducendo huic ritui praeuisse existimat *Hildebrandus* acerrima illa persecutio sub Antonino Imperat. Qui cum animadverteret liberos parentibus ereptos ad idola colenda asportari, praetereaque sacra in obscuro atque occulto loco peragi, ipsumque baptismum remotis arbitris administrari, primus lege sanxit, ut in quolibet baptismo unus praesto esset susceptor, qui de baptismo infanti collato testaretur, mortuis parentibus curam infantis haberet, eundem in religionis Christianae capitibus informaret, & educaret. In Tractatu, qui inscribitur, *Rituale baptismi Veteris*, p. 32. Alii vicissim ansam huic consuetudini dedisse existimant parentes, ex gentilismo ad Christianam religionem conversos, qui vel ob ignorantiam non potuerunt, vel ob incuriam noluerunt infantes suos in fide Christiana instituere & educare; ideo alii electi sunt, qui non saltem de baptismo infantis testarentur, sed etiam curam educationis in pietate & vera fide susciperent. Alii tandem, qui item originem Fidejussorum ad Higinum referunt, occasionem à baptismo Catechumenorum repetunt, de quibus *Eusebius* refert, *L. VII. c. 20. & L. VIII. c. 21.* quod susceptores, testes & sponsores eis destinati fuerint, qui de fide & baptismo Catechumenorum testarentur, quos inter est *B. Balduinus Cas. Conf. L. H. c. XI. c. 8.*

§. IX.

Atque haec sententia, qua scilicet ad Higinum P. R., qui Sec. II. floruit, origo Fidejussorum defertur, communis est, & à praestantissimis viris hactenus defensa, quae probari solet ex *Jure Canonico, Decret. P. III. dist.*

*dist. 4. c. 100.* quanquam decretales Higinii & epistolae supposititiae sint & styli ac rerum indicio antiquitatem mentiantur, quod octo argumentis pereruditè demonstravit VVhittackerus *Lib. de Pont. Rom. contr. 4. qv. 5.* Tertullianus hic familiam ducit, & sicuti primus ac antiquissimus Latinorum pater est, ita ante omnes sponforum vocabulo utitur, eoqve Fidejussores designat in *Libro de baptismo c. 18.* verba ejus adjiciam: *Itaque, ait, pro cujusque personae conditione, ac dispositione, etiam aetate cunctatio baptismi utilior est, praecipue tamen circa parvulos. Quid enim necesse est, si non tam necesse, sponfores etiam periculo ingeri &c.* Post quem legendi sunt Rabanus Maurus, & quem saepius laudavi VValafridus Strabo, Amalarius Fortunatus, Albinus Flaccus, novissime Joannis Davis Commentar. in *Decret. III. partem de Consecr. dist. IIII.* Proinde itaque aut ad finem Seculi II. aut ad initium Seculi III. quo vixit Tertullianus, origo Fidejussorum deferenda.

§. X.

*Triplicis generis autem erant Fidejussores in V. E.* alii in Catechismo, alii in Baptismo, & alii tandem in Confirmatione. De Fidejussoribus in Baptismo V. E. quo intra propositi limites me contineam, tantum mihi dicendum erit; hi iterum pro varietate baptizandorum variabant. Scilicet tria erant genera baptizandorum in V. E. *alii erant adulti*, qui per se scrutinia Ecclesiae subire & interrogati de fide sua ipsi proprio Marte respondere, atqve sine Fidejussoribus Diabolo, operibusqve ejus renunciare poterant. Enimvero nemo adultorum baptizabatur in V. E. nisi symbolum & orationem Dominicam memoria

teneret & recitare posset. Vid. *Casalius de Prof. & Sacr. Rit. vet. P. III. c. 5. p. 45.* Hi equidem nullo indigebant Fidejussore, quoniam jam maturo iudicio pollebant, nihilominus tamen in more positum erat, ut adulti antequam baptizarentur, aliquem ex Christianis rogarent, ut ipsos ad Sacerdotes Ecclesiae, penes quos administratio baptismi erat, manuduceret. Docet id *Dionysius Pseudo-Areopagita Hier. Eccles. c. 2.* his verbis: *Qui autem horum, quae vere supra hunc mundum sunt, particeps fieri cupit: cum aliquem eorum, qui initiati sunt, accesserit, suadet ille quidem, ut se recta ad Sacerdotem ducat, ipse autem se omnino ea, quae traduntur, securum esse, pollicetur, petitque ut & ad eum adducatur, & vitae omnium, quam deinceps agit, curam suscipiat.* Fidejussor huic petito locum daturus adibat cum eo Episcopum, offerensque eum ad baptismum, sponsorem se pro eo interponebat. Cum ad baptismum accingerentur, Fidejussor baptizandum ad sacrum fontem adducebat, pro eoque spondebat ac fidejubebat, servaturum se, quem suscepisset, omnia illa, quae ad interrogata Episcopi promississet. Quo facto baptizabatur, adstante Fidejussore, ceu arbitro ac teste, quod baptismus rite administratus sit, baptizatumque Fidejussor in tutelam ac patrocinium suscipiebat, curamque deinde anxiam gerebat, quo in fide & vita Christiano homine digna indies proficeret, & constanter perseveraret. Praeterea Fidejussor nomen suum aequae ac adulti baptizati in diptycha sive publicas Ecclesiae tabulas referendum dabat, atque cum eo ad S. Eucharistiam accedebat. De hoc ritu *Dionysius Pseudo-Areopagita* sic inquit: *tunc manum capiti ejus imponit & jubet sub ipso Presbyteris & Diaconis in tabellis sacris scribere*

*bere nomina & competentis & susceptoris. c. 2. Hier. Eccles. add.*  
*Zeperus Polit. Eccl. L. I. c. 14.* In altera baptizandorum classe  
 erant *parvuli*, qui tamen ita comparati erant, ut quam-  
 vis adhuc teneriori aetate, tamen ipsimet Symbolum  
 recitare, & Satanae, prout moris erat, renunciare pos-  
 sent; at hi magis adhuc indigebant Fidejussore aliquo,  
 quam illi. Vnde etiam aliquo utebantur, cujus pe-  
 di pedem suum imponerent, fidem suam professuri,  
 & Satanae renunciaturi, quo si forte impingerent,  
 aut ad minimum haesitarent, à Fidejussore adjuvari  
 & corroborari possent. *Tertio* tandem ad baptizan-  
 dum in V. E. offerebantur quoque Sacerdotibus *in-*  
*fantes*; qui vel maxime Fidejussore egebant, si qui-  
 dem illi ore suo fidem suam profiteri non poterant,  
 idcirco aliquis rogabatur Fidejussor, qui eosdem ad  
 baptismum deferret, & Sacerdoti ad quaestiones de  
 fide Christiana more solito instituendas pro infante  
 responderet. Vid. *Hildebrandi Rituale Bapt. Vet. p. 30.*

§. XI.

*Officium Fidejussorum* in baptismo V. E. duplex fuisse  
 statuit *PseudoDionysius Arcopagita L. de Hier. Eccl. c. 2. & 7.*  
*alterum*, ut eos quos suscepissent, in fide erudiant,  
*alterum*, ut eos adhortentur ad virtutem. Ad  
 prius procul dubio respexit *Augustinus*, dum Fide-  
 jussores passim vocat Fideidoctores. Atque hoc  
 ipsum etiam apud Judaeos in baptismo Profelyto-  
 rum fuisse officium Fidejussorum claris verbis ex-  
 ponit *Masfaches Jevamos* his verbis: **ושלשה עומדין**  
**על גביו ומודיעין אותו מקצת מצות קלות ומקצת מצות חמורות**  
**פעם שנייה והוא עמר כמים ואם חיתה אשה נשים**  
**מושיבות אותה כמים עד צוארה והדינין מבחין ומודיעין**  
**אותה מקצת מצות קלות וחמורות והיא יושבת כמים**  
**ואחר**

ואחר כך טובלת מפני והם מהו יריו פניהו ווצאן כרו שלא  
 יראו אותה כשתעלה מן המים. *Tres illi stant e tergo e-*  
*jus, cumq[ue] monent altera vice ex parte praeceptorum leui-*  
*um & ex parte praeceptorum gradium, idq[ue] dum adhuc in*  
*aqva stat. Si vero foemina fuerit, eam quovq[ue] foeminae*  
*in aqva collocant usq[ue] ad collum suum, & de foris consi-*  
*stentes, dum ipsa adhuc in aqva sedet, docent ipsam nonnul-*  
*la de praeceptis leuibus & gravibus, Si baptizata est, in earum*  
*conspectu, convertunt facies suas, & egrediuntur ita, ut non vi-*  
*deant eam ex aqva ascendentem. cap. 4. & dict. Hilt. c. 14.*  
*m. 6. Vid. Rituale Eccles. Galvör. L. I. Sect. II. c. 5. §. 8. p. 228. De*  
*posteriori sic Augustinus, vel alius antiquissimus auctor,*  
*Serm. 116. de tempore, inquit: qui filios aut filias excipere re-*  
*ligioso amore desiderant, & antequam baptizentur, & post-*  
*quam baptizati fuerint, de castitate, humilitate, sobrietate,*  
*vel pace eos admonere, vel docere non desinant, & agnoscant*  
*se Fidejussores eorum esse: pro ipsis enim respondent, quod*  
*abrenuncient Diabolo, pompis & operibus ejus, & ideo tam-*  
*illi, qui excipiunt, quam qui excipiuntur, tam patres, quam*  
*filii, pactum, quod cum Christo in baptismi sacramento con-*  
*scribunt, custodire contendant, nec unquam aliquid Diaboli*  
*pompis, vel mundi istius luxuriosis oblectationibus concupi-*  
*scant. Repetit hoc monitum Serm. CLXIII. Con-*  
*fer ea, quae §. antecedenti dicta sunt.*

§. XII.

Quot numero Fidejussores V. E. in quovis baptismo  
 adhibuerit, non satis constat inter auctores. Higi-  
 num Papam unum in quovis baptismo Fidejussorem  
 adhiheri voluisse nonnulli sentiunt, id quod ex ipsius  
 decreto probare annituntur, quod habetur in *Jure*  
*Canonico Decret. P. III. Distinct. 4. c. 100.* his verbis conce-  
 ptum: *In Catechismo & in confirmatione unus patrinus*  
*fieri*



feri potest, si necessitas cogat. Non est tamen consuetudo Romana: sed per singulos singuli suscipiunt. Nec non Leonem Papam id speciali decreto sancivisse, quod extat in *Jure Can. c. l. c. 101. non plures ad suscipiendum de baptismo infantem accedant, quam unus, sive vir, sive mulier. In confirmatione quoque id ipsum fiat. Verum frustra in sententiae hujus subsidium allegatur Higinus, cum eo tempore baptismus adhuc absque Fidejussoribus administratus sit. Deinde Decretales esse adulterinas atque supposititias jam §. IX. assertum est, & diu ab eruditis evictum. Interea tamen in V. E. usu receptum fuisse, ut unus tantum cuilibet baptismo interesset Fidejussor, diserte asserit Honorius Augustinus in *Gemma animae de antiquo ritu Missae L. III. c. 115. Nullus nisi unus vel una ad lavandum infantem accedat, isque se Fidejussorem illius sciat, ut ita eum, sicut suscipit, restituat, quem citat B. Quesnedius Antiqu. Bibl. & Eccl. c. 4. sect. 2. n. 2. § 8. p. 134. a. Conf. Durantus de Rit. Eccl. Cathol. c. 19 p. 94. Zepperus in Politia Eccles. L. I. c. 14. aliique. Et, si fides Hildebrando habenda, mos hic, videlicet unum rogandi Fidejussorem, in quintum usque seculum permanfit. Rit. Bapt. V. p. 33.**

§. XIII.

Apud Judaeos duo consueverant adhiberi testes in circumcissione infantis, alter aspectari poterat, alter videri non poterat, qualem existimabant Eliam esse, & observare, utrum circumcisio recte administraretur nec ne? prout scriptum est: *Angelus foederis, quem optaris, adest. Mal. III.* Itaque vacuam sellam collocabant in synagoga sua, quae vocabatur כסא אליהו *Sella Eliae*, alta voce exclamantes וזוכר אליהו *Haec est sella Eliae*, monente Buxtorffio *Syn. Jud. c. 4.* Sed vero in baptismo

Imo profelytorum tres assumebant testes omni exceptione majores, eumque numerum tenacissime servabant, ut, vel uno deficiente, totam administrationem jure meritoque in dubium vocari posse censerent. In casu tamen summae necessitatis, ubi vel ob paucitatem hominum ordinarius trium virorum Magistratus constitutus non erat, vel ob rerum penuriam, vel aliam ob causam tot convocari testes non poterant, in tribus testibus plebejis alioqui minime aptis acquieverunt. Vid. *Celeberr. Dantziü Disp. de Baptismo Profelytorum* §. 38. 39. *bab. Jenae MDCIC.* *Cypriani Disp. de h. m. c.* 2. §. 4. c. 3. §. 14. c. 4. §. 5. §. 11. *Lipsiae MDCCLIII.* *Lundius in den Jüdischen Heiligthümern.* L. IV. c. 33. p. 847. a. n. 54. Huc referenda sunt verba *Maimonidis*, qui p. 2. l. 7. in *Hilc. Iss. Biab. c. 13. n. 6.* sic inquit: צריך לשכור בפני שלשה *Necessè est, ut baptismus in trium praesentia fiat.*

§. XIV.

Nostro quoque tempore compluribus in locis tres unicuilibet baptismi interesse solent Fidejussores, qui numerus & in nostra Saxoniam lege ac constitutione jam olim Serenissimi Electoris Saxoniae Augusti sancitus, & perpetua consuetudine firmatus est. Verba hujus legis in *Ordin. Eccles. art. gener. 6.* ita se habent: Als auch unleugbar vermercket / daß bey vielen das Hochwürdige Sacrament der H. Tauffe umb das Einbinden / Geschenke und sonderlichen Nuzes / etwan auch zimlichen Prachts und Hoheit willen / mit grosser Menge der Gevattern in eigentlichen Mißbrauch gezogen / und also ehliche dadurch Krämerey / fast dergleichen / wie verrückter Zeit die Weß = Pfaffen im Papsthum mit ihren Messen getrieben / nicht ohne grosses Aergerniß auffrichten / und zu erbärmlichen Austoß der Einfältigen einführen / und also denselbigen gleich sündigen / und mit dieser Leichtfertigkeit  
 3 Ortes

Ettes Jorn wider uns erregen thun / so sollen hinführo  
nicht mehr denn drey Gefattern bey auffgesetzter Strafe ein  
hundert Gulden / welche wir hiemit wiederum erneuert  
haben wollen / gebethen / und hierüber niemand zugelasset  
werden. &c. Atque hic ternarius numerus jam se-  
culo XII. sub Caelestino III. in Ecclesia observatus  
fuit. Edochemur ea de re ex Concilio Eboracensi ubi  
extat: *Statuimus ne in baptisate plures, quam tres su-  
scipiant puerum de sacro fonte, masculum duo mares &  
una foemina, foeminam duae foeminae & unus mas.*

S. XV.

Sigillatim ab omnibus Fidejussoribus in V.E. re-  
quirebatur inter alia cognitio Symboli Apostolici &  
Orationis Dominicae. Exprimit hoc *Augustinus*, dum in  
*serm.* cujus initium Post Pascha sic ait: *Ante omnia Symbo-  
lum & Orationem Dominicam, & vos ipsi tenete, & illis, quos  
suscepistis de sacro fonte, ostendite.* Quinimo ad suscipien-  
dum infantem in V.E. admissos non esse eos, qui haec  
doctrinae Christianae capita ignorarent, docet *B.  
Quensledius Antiqu. Bibl. & Eccl. c. 4. sect. 2. n. 2. § 8. p. 134. a.* De-  
inde exigebatur, ut ipsi quoque initiati essent; hinc  
& in allegato è Dionysio § X. testimonio extat, quod  
è baptizandis adulti ad initiatum accesserint, ejusdem-  
que opem & assistentiam in baptismo ac curam post  
eundem imploraverint. Conf. quoque verba *Pseudo-  
Dionysii Hier. Eccl. c. 7. fere in fine.*

S. XVI.

Neque vero promiscue omnes & singuli Sym-  
boli Apostolici & Orationis Dominicae gnari, neque  
baptizati universe in V.E. ad officium Fidejussorum ad-  
mittebantur, sed ex iis *excluebantur nonnulli*, videli-  
cet

C

cet (1.) *Monachi*, qui sicuti jam tempore Gregorii M. R. P. ab administratione Baptismi prorsus arcebantur, quo de legendus est *Jo. Baleus in Act. Rom. Pontif. L. II. p. 47.* sic etiam iis Fidejussorum in baptismo suscipere partes minime omnium licebat. *Conf. Casalius L. de Prof. & Sacr. vet. Rit. P. III. c. 5. p. 44. Toletus Instruct. Sacerd. L. II. c. 23.* alique plures. Equidem *canon XVI. Concilii Provincialis Coloniensis T. IX. Concil. p. 309. a.* omnibus religiosis interdicit, ne in baptismo puerum suscipiant; *Paulus tamen Laymannus Theol. Moral. L. V. Tr. II. c. 9. n. 3.* hoc tantum exponit de religiosis claustralibus, quem citat *B. D. Qvensledius c. l.* Ex ea ratione hoc factum esse arbitror, quia illos claustrales à negotiis secularibus & externis segregatos esse oportebat. E contrario reliquas ecclesiasticas personas, utpote Presbyteros, Episcopos, Diaconos, Fidejussores in baptismo extitisse per exempla probat *Casalius c. l.* afferens exemplum Theodorici, filii Regis Chilperici, quippe qui a Ragnemondo Urbis Episcopo de fonte sacro susceptus sit: sic Mauritta Diaconus Elipidiphorum hoc tali ritu suscepit, add. *Turonens. L. VI. Hist. n. 27. (2) excommunicati.* Hi enim sicuti in V. E. à communione Ecclesiae tanquam membra adulterina & putrida ejiciebantur, & ab usu S. Coenae, à nuptiis, atque consuetudine honestorum hominum, quae in mutuo colloquio & convictu consistebat, removebantur, ita etiam ab officio Patrinorum prohibebantur, usque dum seriam poenitentiam agerent, ac delicta agnoscerent & caverent. *Conf. B. Balduini Cas. Conf. L. IV. c. 10. cas. 9. p. 841. Toleti Instr. Sacerd. L. I. c. 5. (3.) publice poenitentes.* Sic enim

Con.

Concilium Parisiense L. I. c. 54. ait: Illos tamen in hoc capitulo specialiter ab his officiis removendos judicamus, qui propter reatum suum publica poenitentia sunt mulctati, videlicet, ut nec alios de sacri fontis baptismate suscipiant, nec etiam ad percipiendum Spiritus S. donum aliorum patroni coram Pontificibus existant, donec per dignam poenitentiae satisfactionem reconciliationem mereantur: nec immerito; quoniam quos & lex divina à castris militaribus, ne ruina sint populi, & auctoritas canonica ab Ecclesiarum sequestrant liminibus, multo magis à memoratis peragendis officiis usque ad tempus poenitentiae peractum, dignamve perceptam reconciliationem, huiusmodi, ut jam dictum est, merito sunt excludendi. Ipse quoque Morinus in Libro de Poenitentia passim docet, quod publice poenitentes per varios gradus obedientiae iuxta ac poenitentiae tandem ad orationes fidelium ac postremo ad sacra mysteria in V.E. admissi sint. Exinde concludo, iisdem aditus omnes ad exercenda publica officia inter Christianos ab initio poenitentiae praecclusos esse. (4) Parentes. Equidem antiquis etiam temporibus parentes ipsos baptismum infantum adstitisse, patet ex illo Gregorii Nazianzeni loco Orat. 3. in S. Lavacrum: ubi increpat eos, qui parentibus vel agnatis absentibus baptismum in aliud tempus differebant, quasi illis non praesentibus baptismus non posset administrari. Verum non solum parentes adstitisse, baptismum infantum suorum, sed eorum quoque Fidei iussores extitisse constat. Enimvero Augustinus L. VI. Hypognost. ibi. dicit expresse: Novimus parvulos parentum manibus ad gratiam sancti baptismi deportatos. Id praeterea docet Epist. XXIII. ad Bonifacium de parvulorum

lorum baptifino fic inqviens: *Cum infantes ad baptifinum deferuntur, parentes pro eis refponderunt; Interrogat hinc Bonifacius Auguftinum c.l. Quid eft illud, quod quando ad baptifinum offeruntur, pro eis parentes tanquam Fideidoctores refpondent, & dicunt illos facere, quod illa aetas cogitare non potefl.* Hanc tamen confuetudinem pofterioribus feculis abrogatam effe ex Concil. Moguntini. c. 55. verbis: *Nullus proprium filium vel filiam de facro fonte fufcipiat, probat Cafalius L. I. p. 44. ex ea, ut putat, ratione, ut intelligatur, educationem fpiritualem à carnali longo diftare intervallo.* Conf. *Toletus l. c. Qva de re fic fcribit Walafredus Strabo de reb. Eccl. c. 26.* (qvi continetur in Magna Biblioth. Patrum Parte Iori Tomi IX. à p. 950. ad 966. incl.) *Non autem pater debet vel mater de fonte fufcipere fuam sobolem, ut fit discretio inter fpiritualem generationem & carnalem: Quod fi casu evenerit, non habebunt carnalis copulae deinceps ad invicem confortium, qvi in communi filio compaternitatis fpirituale vinculum fufceperunt. In conftitutionibus Anglicanis id ipfum quoque interdictum legitur, fi quidem can. 29. haec extant verba: Parentes liberorum fuorum baptifmati interefle, non impellantur ad fagram fontem fufceptorum loco refpondere. (5) Impuberes, qvi catechifmum nondum edocti erant, & ad S. Synaxin nondum accefferant. Hi enim, ficuti in civilibus non admittebantur ad tutelam l. I. & II. de minor. qvia in Jure Civili per fe obligari non poterant, fic ne in Ecclefiafticis quidem pro aliis intervenire & fidejubere poterant. Catechumeni in Concilio Auranfcano A. 441. can. 13. ab officio Fidejufforum*

rum

rum prohibebantur: *Nonnunquam hi admittendi sunt etiam inter domesticas orationes, ad baptisteria nequaquam.* cit. à Calvör. c. l. § 7. p. 228. Conspirat cum hoc Synodus Colonienfis, utpote quae can. 4. constituit olim, ut perfectae aetatis Fidejussores eligantur, non *impuberes*, ne videatur infans infantem offerre ac sponso rem Deo se pro alio constituere, qui quod promittit non intelligit, ideoque multo minus, quod non intelligit docere potest. Ad hunc veterem ritum procul dubio optima quoque ratione inductus olim *Sereniss. Elect. Sax.* dum in den General Articulu *tit. 6.* impuberes ab officio Fidejussorum removendos esse sancivit. Verba interdicti his verbis leguntur: *Nachdem auch in eglischen Orten ein Mißbrauch eingerissen / daß junge Leute die noch selbst Kinder seyn / zu Parthen gebothen werden / so die Kinder nicht halten können / auch die Ursachen nicht verstehen / was das Parthen-Ampt auff sich trägt / so sollen hinführo die Pfarrherren und Kirchendiener deßhalben das Volk erinnern und vermahnen / solche Gefattern zu bitten / und bey der H. Taufse zu stellen / die des Alters und Verstands seyn / daß sie solchen Actum mit Ernst verrichten können. (6) Non baptizati. Vid. Pseudo Dionys. Arcop. L. de Hier. Eccl. c. 2. n. 2. § 2. Toletus l. c. aliique.*

§. XVII.

*An mulieres in V. E. etiam suscipiendi munus obire poterint*, multi dubitarunt, multi quoque negarunt, ex ea ratione, quia putarunt munus susceptorum in primitiva Ecclesia publicum fuisse, ad quod sine dubio mulieres incapaces habitae sint, cum & olim à testimoniis in actu publico, ubi mares praesto esse

poterant, remotae fuerint. Statuunt hinc iidem circa medium Seculi VII. eis demum permissum esse, ut Fidejussorum munere fungi possent. At enim vero *Augustinus serm. 163.* cuius initium est *Pascha Christi*, claris expressisque afferit verbis foeminas quoque de sacro fonte infantem excepisse, dum ait: *Quicumque viri, quaecumque mulieres de sacro fonte filios spiritualiter exceperunt, cognoscant se pro iis Fidejussores apud Deum extitisse.* Quid his verbis clarius? *Walafridus Strabo c. 1. c. 28.* expresse patrinorum matrinorumque meminit, dum inquit: *Ex hac igitur occasione inventum est, ut patrini vel matrinae adhibeantur suscepturi parvulos de lavacro.* Quid? quod in ipso *Jure Canonico* eadem ab hoc munere non exclusae sunt. *Decret. P. III. distinct. 4. c. 101.* Id tamen ne maritus simul cum uxore in baptismo puerum susciperet, prohibitum fuisse dicit *Durantus c. 1.* quo spiritualis curae puritas ab omni labe & infamia immunis ac integra conservetur. Praeterea quoque prohibitum erat *Concil. Nicaen. c. 22.* ibi: *ne vir in baptismo puellam teneret, aut mulieris susceptor esset, nec contra mulier teneret puerum, sed ut mulieres tenerent puellas, & viri masculos.* Vid. *Casalius l. c. p. 43. Durantus l. c. &c.*

§. XVIII.

*Adhibuit autem V. E. Fidejussores in baptismo his potissimum de causis: (1) ut Ecclesia de suscepto infante securior sit, acceptis Fidejussoribus. (2) Ut nullus sit Christianorum, qui non habeat paedagogum, susceptor siquidem, ut ex Augustini vel certe alius antiquissimi scriptoris, serm. 215. de temp. liquet, susceptos erudire tenebatur.* *Debet, ait Walafrid, Strabo c. 1. spiritualis*



alis pater & mater ei, quem de fonte regenerationis suscepit, cum ad aetatem pervenerit, insinuare confessionem, sicut paralyticus fide portantium, meruit à peccatorum solvi langvore, studeat saluti praestitae vivere non indigne & sua impleat executione, quod illorum confessus est ore. (3)  
Ut apertius exprimatur generatio spiritualis adhibitis ad hoc negotium parentibus spiritualibus; unde & existimarunt veteres, susceptos de sacro fonte Fidejussores suos diligere, & omni cultu ac honore, prosequi debere, haud secus ac parentes suos: quinimo quanto est praestantior spiritus carne, tanto magis spiritualem patrem à spirituali filio diligi ac coli oportere. Ut alias rationes silentio praeteream. Vid. *Durantus c. l.* Ex his quis non videt delirare *Muscolum*, qui in *L. C. loco de baptismo* asserit, consuetudinem hanc rogandi Fidejussores in baptismo absque ratione receptam & in Ecclesiam introductam atque hinc eam tam absurdam esse dicit, ut nullo modo defendi queat, apud *Balduinum c. l.*

§. XIX.

Reliquum est, ut de muneribus lustricis pauca adjiciam, quandoquidem usu receptum fuit apud Veteres, ut Fidejussores munera baptizatis darent, vernaculo sermone dicta *Pathen-Geld / Gevatter-Geld*. Hunc morem si non una cum Fidejussoribus, tamen non longo post tempore in Ecclesiam introductum esse arbitror. Vtrum vero statim post baptismum, prout hodie fit, an vero demum in adulta aetate, cum pleno maturoque judicio pollerent, munera filiis suis et filiabus, ut ita dicam, spiritualibus Fidejussores obtulerint incertum, neque ab ullo, quod sciam,

sciam, auctore definitum est, cum neque in toto *Jure* ne mentio quidem fiat munerum lustricorum, quamvis Fidejussorum sive Susceptorum *L. 26. de Nupt. mentio* facta sit. *Martinus Zeilerus* sentire viderur ansam huic consuetudini dedisse tres Orientis Reges dona Christo Jesu recens nato offerentes *Matth. II. 11.* ut colligo ex verbis ejus *Cent. V. Epist. 52.* ubi sic inquit: Gleichwie dem HErrn Christo in seiner Kindheit die Weysen aus Morgenlande Geld und Geldes werth verehren: Also wünschen die Gefattern ihren Pather (nemlich bey der Darreichung des Pather: Geldes) daß es auch in der Welt sich ehrlich ernehren möge. Ja wie Christus die kleinen Kinderlein herzhete / die Hände auff sie legete / und sie seegnete; eben also wünschen sie dem Kindlein auch / daß es möge gesegnet und von Gott dem HErrn bereichert werden. Alii vicissim morem hunc à donis natalitiis, Graecis, Romanis aliisque gentibus arcesserunt. Enimvero antiquis nihil ferme, quod aliquam festivitatis & solennitatis habuit, sine muneribus ac donis transgebatur, idque in signum aut amoris, aut laetitiae, aut grati animi, aut venerationis, aut obsequii & subjectionis, aut favoris conciliandi causa. Huc spectant loca divinius Scripturae *Gen. XXXIII. 10. 11. XLII. 26. 1. Sam. XXV. 18. 27. Pf. LXXII. 10. Matth. II. 11.* Sic sponsam absque muneribus Hebraei veteres non dimittebant, ut patet ex *Gen. XXIV. 53.* Apud Graecos & Alexandrinos sponsis à cognatis dona data, illis ἀνακαλυπτήρια, his δωρήματα dicta fuisse, quidam putant. Vid. *Calvör. Ritnal. Eccl. P. I. L. I. sect. I. c. 10. § 4. p. 25.* Sic *Terentius in Phormione Act. I. Sc. I. v. 12. 13. 14. 15. 16.* variorum mentionem facit munerum, recens natorum, lustricorum, natalitiorum: Porro

Porro autem Geta  
Feriatur alio munere ubi ea peperit,  
Porro autem alio, ubi erit puer natalis dies:  
Vbi initiabunt, omne hoc mater auferet,  
Puer causa erit mittendi.

Ex hoc more derivat consuetudinem hanc Gvil. Sta-  
ckius Antiqu. Conuiv. L. 1. c. 16. 1. qui apud Germanos ob-  
tinet, ut nimirum eo die, quo infans sacris aquis initia-  
tur, munuscula ab iis, qui illum e sacro fonte suscipiunt, ei  
donentur, & puerperae quoque ova gallinae, aliaque ejus  
generis dona à vicinis mittantur. Et postea: Ut in Am-  
phidromiis Graecorum, certa quaedam munuscula ab amicis  
atque necessariis infanti & puerperae missa fuerunt, ita  
& in circumcisione, hodie à Judaeis & Arabummedanis usur-  
patur, & in baptismo nostro dona quaedam & infanti &  
ipsi quoque puerperae dari solent. Atque hic mos in  
V. E. usitatissimus fuit. Refert enim Socrates, seculo  
jam VI. Judaeum fuisse, qui se in multis Ecclesiis ad ba-  
ptizandum obtulerit, eum scilicet in finem, ut ma-  
gnam pecuniae lustricae summam corraderet, cum  
semper alios atque alios Fidejussores habuisset L. VII.  
Hist. Eccl. Porro de Rom. Pont. Deus Dedit, refert  
Vincentius Lib. XXIII. quod cum Romae ei se offerrent  
duo, qui quantum ad vultum ei conformes essent,  
ut nimirum ab eo baptizarentur, post baptismum,  
impertitum unicuique ligneum scyphum auro gem-  
misque exornatum dono dederit, haec proferens  
verba: Accipite hoc donum in memoriam, quod ego vos  
baptizaverim, ut legere est Hildebrandus in Rit. B. V. p. 23.  
Turcas circumcisis munera offerre memorat Calvör.  
in Eiss. Sion. L. XII. c. 7. §. 11. eb. 28. Schweigenus de sa-  
mulo

D

mulo

mulo quodam, qui abnegata religione Christiana ad Turcas transierit, huic, praeunte aliquo adstantium, edita fidei professione: *La be la be ille la Mubameden, resullala tangribit, aut beginbir begamber hac h.e. credo, quod unus Deus sit & Mubamed ejus Propbeta*, adstantes Turcae, collectis eleemosynis pro eo, easdem doni loco ei obtulerint. *In Itiner. Constantinop. L. II. c. 25. Conf. quog. Calvör. c. 1.*

§. XX.

Data vero olim à Fidejussoribus baptizatis munera lustrica, (1) in memoriam atque recordationem baptismi, ut eorum aspectu sibi in memoriam revocarent, se baptizatos esse. (2) ad indicandum affectum, quo Fidejussores infantibus additi sint, (3) ad obstringendos baptizatos, ut in ea fide, quam Fidejussores eorum nomine professi fuerint, persistant ad finem usque vitae, neque ab ea deficiant. (4) sicuti quam maxime pauperum liberorum gratia haec munera inventa esse existimo, ita etiam haec ipsis data esse facile credo, ad conservandam & sustentandam in aliquod tempus vitam, sive ad persolvendam praeceptoribus mercedem, sive ad alios maxime necessarios usus adhibendam. (5) Perpulchrum aliquod hieroglyphicum sub hoc more latet. Quemadmodum enim belli duces, quando novos, ad augendas Principum copias, conscribunt milites, pro auctoramento militari non nihil pecuniae dant, eaque data ipsis quasi calcar ad fortitudinem addunt, ut pro salute Principis & patriae strenue pugnent, nec ulla pericula extimescant, atque eo nitantur, ut hostem submoveant ac profligent: sic etiam infantes

tes cum baptizantur, Christo Regi omnium Regum  
& Duci maximo nomina sua dant, & in spiritualem  
militiam recipiuntur, atque adeo munera illa tribu-  
untur, ad incitamentum probitatis vitae, & constan-  
tiae in fide, ut animose pugnent adversus spirituales  
hostes, qui in Christi nomen familiamque per bap-  
tismum adoptatis nocere student & insidias struunt,  
quorum antesignanus est Diabolus, coadjutores  
Mundus, Caro &c. Tantum.

*Clarissimo atq. Doctissimo Domino*

CHRISTIANO FRIDERICO KRANEVVITTERO,  
Philosophiae Magistro multo meritissimo,

*S. P. D.*

M. GVILIELMVS VVILCKIVS,

Fac. Philos. Affector.

**D**Vae potissimum sunt viae, quibus in-  
sistunt literati homines, qui studio-  
rum gratia in Academiis versantur, altera  
ad laudem patet, altera ad inferendam in-  
fontibus injuriam spectat, ut manus conse-  
rant, & bella privata gerant, atque adeo in-  
jus vocentur, & causam delicti reddere ju-  
beantur. Illam ingressi maxima cum animi  
contentione literis incumbunt, atque in pu-  
blicum prodeunt ea mente, ut in certamina  
descen-

descendant, quae non Marti jucunda, sed  
Musis amica celebrantur; ita fit, ut tales om-  
ni laude digni sint, & à Patribus Acade-  
miae probentur, ceteri autem contentiosi  
neque diligantur, neque commendentur.  
Quare, Vir doctissime, ab eorum consilio,  
qui lites & rixas alunt, & assidue cum pocu-  
lis certant, discessisti, & semper alienus fuisti,  
operam singularem literis dedisti, & ad illud  
decus grassatus es, quo inter Academicae Ju-  
ventutis ornamenta enitescis. Feliciter ergo  
cathedram Philosophicam ascendis, Patribus  
Academiae rationem studiorum tuorum red-  
diturus, atque non levis sed gravis argumenti  
dissertationem pro virili defensurus. Fausto,  
quod opto, sidere prodeas in medium, exem-  
plum praebeas commilitonibus, diligentiam,  
eruditionem ac mores tuos Patribus com-  
mendes. Deus vero omnis sapientiae fons & origo  
faxit, ut quovis die eruditio tua crescat, ac exinde aut  
Ecclesia, aut Respublica Literaria ingens aliquando  
capiat incrementum. Id sicuti certo spero, ita *ὀλο-  
ναεδίας* voveo. Dabam è Musaeo Vitembergae  
in Saxonibus, A.O.R. MDCCVII. d. 31. Januar.









Wittenberg, Diss., 1707

Wittenberg, Diss., 1707



v. d. 18





1893

1709

1731

10

2. F. F. S.  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DN. FRIDERICO AVGVSTO,  
ELECTORATVS SAXONICI HEREDE, ETC.  
DISSERTATIONEM  
DE

# FIDEIVSSO- RIBVS

In Baptismo Veteris Ecclesiae,  
PRO LOCO  
In Amplissima Facultate Philosophica  
obteno,  
Solenni ventilationi exponit  
PRAESES

## M. GVIL. VVILCKIVS,

Memela - Prussus,  
RESPONDENTE

## M. CHRISTIAN. FRID. KRANEVVITTERO,

Chemnicio - Misn. Alumno Elect.  
ANNO MDCCVII. DIE XXVII. JANVARII, 1707  
IN AVDITORIO MAJORI.

VITTEMBERGÆ, Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

1707

